

ADOLPHVS COMES NASSOVIAE, CAESAR.



**A**DOLPHUS ex illustri familia comitum de Nassau natus, & in omni genere uirtutum educatus fuit. Itaque militarem disciplinam exacte didicit, atque in adolescentia ob corporis & animi fortitudinem magnam omnibus de se spem exhibuit. Cum autem paternam ditionem regendam suscepisset, bellum ei grauissimum cum duce Brabantiae exortum, in eo tanta fortitudine egit, ut quinque excellentissimos ducis Brabantiae Satrapas prælio ordine superarit, & deuicerit. Tandem uero ipse per insidias captus, duci offertur. Tu rogatus quis es? Respondit: Comes sum Nassouiae, rerum quidem non magnarum dominus, uerum maximarum uirtutum æmulator. Tum uero ad ducem conuersus, inquit: Heus quis tu es? Sum, inquit ille, dux Brabantiae, quem bello persecutus es, & cui quinque strenuissimos duces occidisti. At Adolphus inquit: Miror quomodoensem meum euaseris, quem in te acui, præsertim cum præ omnibus alijs animus te occidere gestiebat. Dux Brabantiae audiens liberam comitis uocem, eum ex captiuitate liberum demisit, atque muneribus honoratum, in suam familiaritatem accepit.